

que porrò attendit observator, *Paulum*, ut scriptorem *Ἰερόνυμους* ex inspiratione divinâ scivisse nomina magorum, ut ibi quoque Cabbala eum nihil juverit. Et quomodo denique ex vocabulo *regni cælorum* à Christo in prædicationibus suis adhibito, probari contra strenuum adversarium poterit, Christum *Cabbalam suo probasse calculo*, quia illud quoque vocabulum adhibet? Nihil est notius, quam *Adam. Kadmon* vel *primus* in Cabbala; anne ergo concedit Observator, 1. Cor. XV. 45. 47. vocem *πρωτος* à *Ἰησῴ* exinde desumptam esse? sanè non potest, cum Deum notione illa à Cabbalitis semper intelligi, defendat p. 225. Sed tempus est, ut ad Porismata progrediar! Sequatur igitur, licet brevibus, cum varia in B. Schmidij Collegio Bibl. legi queant, ad quod hoc in passu, ne ex charta in papyrum describam, remitto:

SECTIO III. Porismatica.

Porisma I. V. T. ratione autoritatis non postponendum est Novo. Ratio, quia ipse *Christus* ita ad illud provocat, ut exinde *vitam æternam ac testimonium* de semet haberi posse, dicat; neque ulla re autoritatem ejus imminuere voluisse, probari potest: quia Apostoli id Test. fundamenti loco posuerunt, *Act. XXVI, 22, Act. X, 42, 43.* cui Novum tanquam supplementum superstruere-
tur. Peccant ergò *Sociniani*, seq; hoc quoque nomine Christianorum appellatione indignos faciunt; quod autoritatem *V. T.* quantum in ipsis est, convellant. Verba ipsorum collecta vide sis in B. Gerb. *Disp. Theol. in quibus gloria Dei per corruptelas Pont. Calvin. & Pbotin. labefactari ostenditur, Disp. X. §. 19. p. 20.*

Por. II. Prohibitio lectionis Biblicæ, ut injusta est, utpote quæ contrariatur præcepto Christi, ita quoque non potest aptum esse ad conscientiam consolidandam medium. Contra *Rieb. Simonis*, Pontificium Gallum, in *proæmio* §. 2. allegatum: quia conscientia anxia adhuc magis gravabitur, quando cogitat præceptum Christi de scrutanda Scriptura à semet violari; quin & hac ratione meliorem fuisse conditionem hominum *V. T.*, quibus legere licuit Scripturam, quam suam in *N. T.* ubi tamen major promissa libertas *Gal. IV, 24*, ut sic ipsam remedium malo contra quod adhibetur, nihilo sit melius, atque meritò vitandum. Por.